



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 8. Puer natus in deserto, potest-ne salutem consequi intuitu fidei parentum, aut voti seu desiderii quod habent ut baptizetur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40834**



*De Sacram. Baptismi. Cap. I. 57*

quod manifeste ad contemptum Sacramenti pertinet, quantum ad illos qui habent usum liberi arbitrii; & ideo hi quibus hoc modo deest Baptismus, salutem consequi non possunt, quia nec sacramentaliter, nec mentaliter Christo incorporantur, per quem solum est salus. Alio modo potest Sacramentum Baptismi alicui deesse, re, sed non voto; sicut cum aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu prevenitur morte, antequam Baptismum suscipiat. Et talis sine Baptismo actuali salutem consequi potest, propter desiderium Baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus interiori hominem sanctificat, cujus potentia Sacramentis visibilibus non alligatur. Unde Ambrosius dicit de Valentiniano qui Cathecumenus mortuus fuit. Quem regeneraturus eram, amisi: veruntamen ille quam poposcit gratiam, non amisit.

Sufficit igitur ad salutem votum suscipiendi Baptismum, quod votum potest esse explicitum, vel implicitum: explicitum cum quis actu & expressè desiderat Baptismum: implicitum cum aliquid operatur, quod in se includit desiderium Baptismi, ut cum ille qui nihil de Baptismo audivit, elicit verum contritionis aut amoris Dei actum; quia tunc verè desiderat ea omnia, quæ sunt necessaria ad salutem, ac proinde verum habet desiderium recipiendi Baptismum, si divinum de Baptismo suscipiendo scivisset mandatum. Id etiam videtur in casu Presbyteri non baptizati, de quo supra quaestione 3. qui certè habuerat desiderium implicitum saltem Baptismi; quia si scivisset se non esse baptizatum, Baptismum sine dubio petiisset.

*Quaest. 6. Puer natus in deserto, potest-ne*



salutem consequi intuitu fidei parentum, aut voti seu desiderii quod habent ut baptizetur?

D. Th. quod-  
libero. 6. art.  
4. in corp.

*Resp.* Non potest. *Dicendum*, inquit Divus Thomas, quod in pueris nondum habentibus usum rationis non potest esse motus fidei, & dilectionis, aut propositum suscipiendi Baptismum: & ideo non possunt salvari, nisi per Baptismum aqua vel per Baptismum sanguinis, si propter Christum occidantur. Ex quo non solum Christiani, sed etiam Martyres fiunt, ut August. dicit de Innocentibus: & sic patet, quod puer in deserto moriens sine Baptismo, salutem non consequitur.

## CAPUT II.

### De Materia Baptismi.

*Quest. I.* QUENAM est materia Baptismi?

*Resp.* Duplex distinguitur materia in Sacramentis, quæ consistunt in usu alicujus rei sensibilis; altera est res ipsa sensibilis, quam Deus instituit, ut sit signum & causa gratiæ, quæ producitur per Sacramentum: altera est usus & applicatio illius materiæ. Prima dicitur materia remota, secunda materia proxima.

*Quest. 2.* QUENAM est materia remota Baptismi?

*Resp.* Est de fide, materiam remotam Baptismi, esse aquam naturalem, ut habetur in Concilio Florentino in Decreto unionis. *Materia Sacramenti Baptismi est aqua vera & naturalis.* Et in Concilio Tridentino sic habetur. *Si quis dixerit, aquam veram & naturalem*

Concil. Trid.  
sess. 7. cap. 1.  
De Baptismo.